B. N. C
FIRENZE
1008
12

1008.12

1008
12

A

1003 12

B I

ELECTO ROMANORVM IMPERATORI

LEOPOLDO PRIMO

GRATVLATIO

A

Nob. iuuene, & Com. Nicolao Carolo Vatiello ſub ipſum Diuo diem Leopoldo Auſtriaco ſacrum. h. e. Nouemb. 15. M.DC.LVIII.

IN VRBIS TEMPLO PISAVRI MAX.

PRONVNTIATA.

Eius autem celebratis narrationi Nuper vulgariter *impræſſæ omnino coniungenda.*

NVNC VERO

Sereniſſimo ex Principibus Hethruriæ Leopoldo literarum cultori pręſtantiſſimo paulo auctior dicata.

CO

A PAVLO CAN. PIRANO AVCTORE.

Piſauri, Apud Ioannem Paulum de Gottis 1660.

Superiorum permiſſu.

1872

1008.12

SERENISSIME

PRINCEPS.

EQuidem quoties, multorum linguis ſamam de Te, Sereniſsime Leopolde loquentem audiebam eas à Te literas (quarum quià bonæ ſunt raros videmus amatores, Vel ſi quos; vulgo deridentur, quia pulcræ) mirificè amari coliq; ſolitus fui ſuſtinere me, quo minus cum cæteri admirarer. Cum, ex quo ad hoc ipſum ſtudiorum genus me potius rapuit natura; quàm vlla rerum conducibilitas: facilè intellexerim, in iſta Vrbe Florentia; auſpiccijs, et liberalitate inclytæ Domus veſtræ earum fuiſſe primam inſtitutam atq; illuſtratam Academiam. Attentius autem mirarer; cur non omnia ſtudioſorum Monumenta tantis inſcriberentur bonarum, pulcrarum doctrinarum Inſtauratoribus: fautoribus. Cultoribus. Dicebam ergo ab Cælſit. T. fieri, quod pleriq; facereconſimilis fortunæ contemnunt. Quod autèm ipſis à Maioribus accepiſſet: talibus animum ſtudijs addixiſſe, quibus tum ipſa augetur humanitas: tum omnes naturæ habitus meliores facti feliciùs adminiſtrantur, ad publica negotia præſto ſunt, vel præceptorū copia, vel exemplorum luce. Tranſirem in arrogantem, & mantiſſa obſoniū vinceretur, (aiebat ille) ſi ſapientiam in iſto C. T. pectore planè regnantem, meo vellem quaſi ſuffagio roborare.

Demitto me in prece; vt conſentias me non peccaſſe. Cognoui enimuero huius meæ opellæ texturam, ſcilicet leuidensã multò pluris inſignitã Celſ. T. Nomine futuram. Meam dico iure poetarum, atq; muſicorum, quibus licet concentus, et carmina dare prò ſuis, alienis quidem vocibus explorata, atq; delibata. De materia, ſublimem agnoſco; nimirum ſupra vires. Sed habet à ſe illa, ornamentum, et pretium. Cæterum fato contigerit, vt paruus homo, ac proinde incogniguitus, heroicus cogitationes ſecutus culpam deprecari maluerit, quàm culpa carere: Sane mihi vltrò fingebam: Celſ. Tuam, et Diuo in Cælum recepto, et ipſi; Cæſari tum Nominis, tum Sanguinis prærogatiua coniunctam; et quæ non dedignatur inter Sua habere literarium negotium. hic ſi præſens affuiſſet: hoc quicquid fuerit, latinè exaratum iure quodam imperij flagitaturam. Nunc autem ſpontè, vltroq; do multa cum animi demiſſione, cumq; legitimi, profeſſione, et humillimi debitoris. Piſaur.

Poſt

Poſt obitum Ferdin. Fratris, } amborum
& Patris item Ferdin. } Cæſar.

LEOPOLDO NOVO CÆSARI

PRECATIO FAELICITATIS.

HVmanum, cur ſæpe genus præpoſtera vexas
Mors iuuenes numerans? ſint tua cura ſenes.

Ah precor auſculta: ſatagens ſola æqua videri
Barbara in imperio diceris eſſe tuo.

Si neſcis; puer ille ſui Genitoris imago
Nomine, & auſpicijs Romulidumq; Caput.

Debuerat lætante Patre, optatuq; ſuorum
Viuere poſt Patrem: ſcepra tenere Patris.

Quid niſi tam chari languens poſt funera Nati
Quid Ferdinandus? Quid niſi, & ipſe mori?

Cæſareus tunc altus Honos thronuſq; putari
Irarum arbitrio ludibrioq; datus.

Intumuere acri monſtra hæc, aut illa furore.
Vt quaſi conflictus Pacis arena daret.

Aſt ea, quæ Auſtriadum ſequitur faſtigia (qua nos
Hinc diſceſſuri credimus eſſe quod eſt.)

Aſſertrix antiqua eadem, & defenſa viciſſim
Hoc ſibi Religio nobile poſcit opus.

Virtutes iunxere chorum; bonus ille ſenatus
Sancta Leopoldi vota, animumq; regit.

Iratæ fugere acies; & turbida quicquid
Molitur rabies; diſſipat vna dies.

Tunc, & corda Patrum cæleſti lumine flecti
Cæpere, & Iuueni vota ſecunda parant.

Surge potens Iuuenis, nos te ſperamus in vno
Magni tu nobis agminis inſtar eris.

Sint tibi ſubiecti populi: Virtutibus ipſe
Addent virtutes fortibus Aſtra ſuas.

GRATVLATIO.

SI, quo primùm tempore apud nos audita; famaq; credita eſt: Leopoldum Auſtriacum fuiſſe Imperatorem renunciatum; tunc animaduerſa non fuiſſet communis lætitia, atq. ſingularis omnium gratulatio: eam ego maximam extitiſſe affirmare nunc debeo; cum maximam video frequentiam veſtram ad hanc celebritatem, quam Pater meus, & pij, & deuoti animi inductione inſtruxit, indixitq. & quam ego oratione ſubſequi recuſare non potui.

Et ſane. Sed ipſe quoque Eminentiſſime legate noſtræ tuendæ ſecuritati deſtinate Delcie Cardinalis, cum iſta purpura cuius pretiũ tuis de virtutibus intelligimus. Cum iſta nobilitate quam, tam & ſi à te inciperet ſatis claram, ſatiſq. inclytam diceremus cum iſta fama rerum ſapienter geſtarum: non es dedignatus huic Theatro, quaſi pro Corona addere Te.

Sanè, inquam, feciſtis more veſtro Ciues, Domini, Auditores mei: humanitèr, amantèr, & iucundè approbantes veſtro id omnium nomine fieri, quod Pater, & Filius in cauſa tàm magnifica, & illuſtri adorti ſunt facere. Quid ni? cum de hac ſumma Imperatoris dignitate, nulla apud quaſcumq. nationes, cum veritate iudicantes, maneat dubitatio, quin primum teneat inter orbis Chriſtiani Principes (ſuprema ſacrarum rerum Adminiſtratore ſemper excepto) locum? Vellem à tempore impetrari poſſe dicendi libertatem: multo plura dicturus, de tanti faſtigij ſplendore: de gentis Auſtriacæ magnitudine, de huius delecti Iuuenis virtute omnia ſilicet iucunda omnibus veſtriſq. auribus digna audiretis.

Imperij dignitas in Germania, vel vt vulgariùs dicunt in Populo, & latina Ecclesia (Auditores) ortum habuit, non ab illo inuidioſo imperandi auſpicio, quod primus ſibi licere duxit Cęſar Is enim, quod non ignoratis, Imperator Galliarum, vel Adminiſtrator belli in Gallijs gerendi efficerę cepit eò audaci conſilio publicæ libertatis opprimendæ, vt deincèps ſtabilis neq; non vnquàm non vtilis eſſet ipſa Imperatoris appellatio; ſed ab ipſo Deo *per quem Reges regnant*; miniſterio autem, atq; decreto Romani Pontificis. Poſtquàm enim ex Vrbe Roma Bizantium in Vrbē tranſtulit ſe cum tota Imperij magnitudine, ſeù potiùs tranſtulit ad Græcos à Latinis, vices imperādi Conſtātinus. Ipſi (inquietis) Græci eo clari ſapientie nomine atq; doctores nationum, in imperio ſe temperare ſatis ne ſciuere? namq; eorum, qui poſtea ſecuti sūt: haud omnes, religione, aut armis pares Conſtantino ſe præſtitere; quaſi de Conditoris merito beneficioq; (ſecus atq. ille fore ſperauit) male ſentientes. Quin immò Romanæ Eccleſiæ nequaquam piè nequàquàm ex animo conſentientes, res quoq. Imperij ſatis in conſulte adminiſtrabāt. Hinc ſæpius, ac pluries factum, vt frater à fratre: à filio Pater ſine ordine, ſine reuerentia, aut ætatis, aut ſanguinis, aliarumue domeſticarum neceſſitudinum, non modo Imperio exuti verùm etiā omnium rerum vſura, vel aſpectu lucis, vel alijs membrorū deformationibus attriti Græcis ex annalibus proferri poſſint. Quibus ità perperam adminiſtratis, Orientalium Cæſarum nomen, in obſcuro latere, & contemptui Maieſtas haberi cepta eſt.

Quod ęgro animo agnoſcentes ex Roma Antiſtites tanquàm Cuſtodes dignitatis conſeruandæ totius Nominis Chriſtiani Carolum ab virtutum ſplendore Magnum appellatum iure ſacroſantę poteſtatis elegerunt in Cęſarem

quaſi

quaſi ſuum, & conſecrarunt. Ex indè aliquot poſt annos Caroli intercidente progenie ad Germanos præſtantiſſima dignitas deducitur. Quę Natio ità generosè eam amplexa, nec non tutata eſt, vt mirabili quadam prudentia, & conſtantia illam eligendi pręrogatiuam nunquàm à ſuis declinantes propinquiores natura, qui eſſent ab Imperij faſtigio nullatenus repellendos eſſe putauerint. Nimirum Romæ non ignorantes ita fuiſſe primis in Auguſtis obſeruatum, ac proinde non ſine cæleſti prouidentia Eccleſiæ Moderatores hoc à ſe primùm ſublimitatis decus, & culmen in Populo Chriſtiano excitarunt, cui propterea ab ipſis Auctoribus Romani amplitudo nominis meritò remanſerit.

Hinc illa ceu onera Dignitatis, ſeu tituli. Defenſor fidei. Eccleſiæ Protector. Religionis Catholicæ propugnator. Pupillorum, Viduarum ſubleuator. Supremum omnium laicorum Chriſtianorum Oraculum, atq; Tribunal. Vos autem, Auditores; quoniam ego in rerum tanta laudandarum copia deſinere maloquàm deficere, vobiſcum ad memoriam illud reuocate, atq; in rei ęſtimationem deſcendite: Noſtri in Imperij Romani faſtigio neminem ſediſſe (quod neſcio, an alteri nobili Monarchiæ contigerit) qui noſtra, qui vera, qui Chriſti Religione imbutus non fuerit. Hoc eſt qualem à familia Auſtriaca generari tot per annorum curſum immò ſeculorum eſt natio omnis Chriſtianorum experta.

Vobis notam puto eſſe (Auditores) hiſtoriam rei geſtæ per Rodulphum Abſpurgi Comitem huius maximum generoſiſſimę prolis Proauctorē. Ille ex venatione redibat, tempore pluuioſo: itinere lutoſo, planè incommodo tetroq; ecce ſe ſe illi obijcit Parochus pedibus ambulans, tùm ferens ad ægrotum campeſtris domicilij Diuiniſſimum

mum Sacramentum Actutum deſcendit equo Rodulphus: ſacrum cogit Miniſtrum aſcendere; ipſe tenet lora equi ſeq; ipſe facit comitem Chriſti: Vectorem Euchariſtiæ Pediſequum Sacerdotis qua in re quis modò non animo comprehendit illius tùm cordis feruorem, tùm vim lacrimarum. O incomparabilem in ſacroſancta myſteria venerationem: ſi ſuomet feruore, hoc fecit Rodulfus. O imitandam erga ſacerdotes reuerentiam: ſi fecit quod ſacra de ſynodo acceperat Rodulphus.

Matiſcon can. 15. apud Caranz.

Et miramur huic tam excellenti pietati Deum præſto fuiſſe remuneratorem, & ſuffragatorem ad ſummi Imperij dignitatem? Huius facti veritatem vt dixi iam diù, quà narrationibus, quà ſcriptis, teſtatam auribus veſtris nouam accidere non arbitror, quam & publicè conſtat fuiſſe in Theatris commemoratam, ſed eius fidem (obſecro vos) querite ex geſtis, ex moribus, ex fama, ex virtutibus, & ſanctitate omnium, qui de Auſtriaca familia Romanum Imperium, vel alia amplitudinis non minoris Regna ſunt conſecuti. Et quidem Hiſpaniarum Rex magni nominis Philippus ſecundus, dum Sanctiſſimi Corporis feſtum Cordubæ ageretur, comitari pedes ipſe quoq; Proceſſionem voluit, Admonitus autem de periculo capitis à Sole verberati *per diem* inquit (Regis alterius, ſilicet verbis, & exemplo) *ſol non vret me*. Eo autem tempore, ea verò nocte; cum ipſe idem ſalutis noſtræ auctor, & vindex; quaſi reſumpta quotannis mortalitate condi ſe patitur in Sepulcro nouo: Philippum Tertium ſecundi filium, cum Philippo hodiè quarto, & reliqua filiorum corona; Sacras ad Aedes Madriti, adeuntem: ad aras procumbentem ſeq; ſuoſq; tum ſuorum Regnorum opes, tùm gubernationis glorioſos exitus ipſi regi ſeculorum commendantem viuit qui viderit: vidit autem qui ſcribit.

bit. Maneat Auditores, *ſeruire Deo regnare eſt.* Horum Principum nullum reperietis, qui Summo Pontifici coniunctus, atq; obſequens non extiterit. Qui rei Chriſtianæ commodis ante omnia non ſtuduerit, Qui pro fide Catholica, & ſtatus, & prouincias, & Patrimonium, ſimulq; vitam non obtulerit profuderitq. Omnes prædicant de tantorum Heroum manſuetudine, de humanitate, de largitate liberalitateq; ſi quis autē acceſſerit, aut ſacris de rebus allocuturus, quamuis non ille illuſtri conditione inſignitus, ſtatim admittitur, auditurq. libentiſſimè. Nec dedignatur quiuis ea de nobilitate Princeps exhibere ſe auditorem, immò diſcipulum cuiuſcunq. vitæ ſpiritualis documenta tradentis. Vt multa cum prudentia non nemo dixerit hanc Domum vocari debere Chriſtianæ fidei Aſylum, & decus. Religioſorum hominum hoſpitium, tutelam, & ex ea quot naſci heroes certa Numinis indulgentia contingit: totidem naſci Religionis Patronos, totidem fidelium miſerorum ex ærario pietatis ſubleuatores profuſiſſimos ex annona clemētiæ Mecœnates Quiſquis autē interiores domeſticas conſuetudines ſcrutatus fuerit atq; omnia ordinata, omnia præſcripta, ſiue ad horas in templis publicè impendendas: ſiuè ædium conclauia, quàm pulcherimè ornata ad præcationes, ad pſalmos, ad ſacras conciones oculis, ac mente conſpexerit: næ ille ſe, quamuis perſeueri ſectator inſtituti cumulatiorem affectibus pietatis fatebitur: Porrò dixerit. Illam eſſe Aulam, atq. Domicilium ſanctitatis. At verò ne putetis hanc rerum diuinarum tàm conſtantem, tamq. perpetuam meditationem nullis eſſe ſolicitudinibus perturbatam: ſed potiùs multarum deliciarum copia protectã, nullis infeſtis molitionibus laceſſitam, ſed potiùs omnium rerum ſuauitate frui · nullos eam in Aulam tumul- *Apud Cennînum Nuncium Apost. familiaris. 1619. & 20.*

tus

tus afferri. Sed potiùs bellorum exitus, iuxta votum: adiectiones regnorum, & nouos triumphos: omnia demùm otij, & tranquillitatis præmia, quæ magnos alios apud Reges manere conſueuerunt, & propter quæ vt dixit ille *fruſtra non timetur Deus.* Videte per Deum immortalem; quod mihi credatis dicam Ecquis enim veſtrum non intelligit Auſtriacorum vndiq; fines circundatos eſſe inimicorum inuidia, aut armis? Eum per vos agnoſcetis ininficorum teterrimum; quo cum nunquàm fidelis manet amicitia, ſeu pax. Huc nimirum, mecum dicetis peruiniſſe conſilia Pontificum: vt ſint modò Auſtriaci ad excipiendos ſuſtinendos Bizantinos impetus obiecti. Ipſi noſtrarum Prouinciarum fines ſuarum periculo tueantur, & planè Illuſtri exemplo Chriſtianæ fortitudinis illud Pauli documentum experiantur: *omnes, qui volunt piè cum Chriſto viuere perſecutionem patientur.* Vt verè in Auſtriorum pectora bonos pietatis vſus cum Imperio tranſijſſe: ab ipſis verò Pontificibus noui Imperij fundat ribus, rectæ religionis ſtudium imigraſſe videatur. Si verò reliquos ad actus reſpiciamus: qua ſe exerceãt erga omnes charitate: qua ſe inuicem perament, quauè concordia tueantur: qua fide; qua conſtantia, amicos, conſanguineos foueant, ornentq; qua ampla mercede grata cuiuſq; facta proſequantur, quàm cumulate impleant communia officia humanitatis. Hos mecum vocetis Delicium generis humani hic nulla vlciſcendi natura: nulla odiorum coaceruatio omnia obruuntur clementia.

Iob.4.

Auctores habui, immò hortatores, qui ad hiſtorias ętati meæ, vix quidem conſentaneas.) Auſtriacarum fęminarum vocarent. Sed nimis amplo, nec adeò neceſſario argumento, & vos, & me onerabam. A. cum eadem gloria curſim exarata, ad omnes eiuſdẽ familiæ pertineat. Nihil

ex ea

ex ea Domo prodire ſciatis, non in hanc formam. Sanctũ, Serium, graue. Et ſcimus in Monaſterijs Sanctiſſimas Virgines, & imperatorias viduas floruiſſe, in adminiſtrationibus Regnorum vidiſtis Heroinas mirabiles. Tùm ipſis in priuatis penatibus. Matres æque prudentes æque pias filiorum educationes. Demùm, quod nùnc à me recordor didiciſſe *imbelles columbas nõ progenerant* Aquilæ.

Refloreſcit ergò in Leopoldo probatiſſimo Iuuene Auſtriacæ Domus gloria, & magnitudo, eoq; excelſior firmiorq; ſpes, quo magis longum per inter regnum laboratum eſt, vt conuenirent; Non, inquam puteris alienas ab eo fuiſſe Procerum Electorum ſententias cum ſtatim atq; Pater diem obijt ſuum Ferdinandus omnium animi, acclamationes, & vota Leopoldum filium in ſucceſſorem pronunciarent; Et quidem vix Comitia, vel vti ipſi vocat, Dietam Proceres indixerant: & omnes affirmare Leopoldi Electionem minimum aleæ in ſe habituram.

Interea, vel rei dignitas quadam maturitate illuſtranda videbatur. Veruntamen nec quiſquã obijciat nouas orationi meæ diſcuſſiones de voluntatibus, de odijs, de alijs affectibus ad illam maximam conſultationem pertinentibus. Horum enim cauſas, cum procul habere conſtitui, tùm aſſignare temporibus. Si quid autem: illud omne diſcuſſit ſola Auſtriadũm, & nunquam antiquabilis gloria: ipſius præterea Leopoldi innocentia, indoles, & fortuna. Iſtæ inquam ſe ipſas ad Imperium excitabant: animabant quoq. iſtæ Magnorum Procerum Electorum conſtantiam, beneuolentiam, & rectam gentis ornandæ ſuæ conſuetudinem.

Imprimis autem, vt hoc ex illis, quæ hominum viribus geri ſolent, negotium ſane maximum exiſtimari debet: ità præcipuam Dei curam adfuiſſe, cui ſe totum abincu-

nabilis

nabulis Cæſar noſter permiſerat pro certo habeatur. Ille fuit Leopoldus ętate adhuc paruulus, qui audiens de quibuſdam in poteſtatem hoſtium Vrbibus traditis : nihil perturbatus, vel pauefactus *Cælum generosè* inquit, *hoſtes non eripient.* O verbum planè commodum, & ſalutare. Siquidèm cogites de inimicis, qui tùm fortunis, tum moribus tuis aduerſantur. Tunc autèm, cum frater natu maior declaratus fuiſſet Romanorum Rex : Leopoldus non niſi bono ominè incitatus *Fratri quidem* ait *Imperium, ità contigit.* Ego verò Regna à me ipſo parabo, & hoc non vulgari ſignificatione præſtitit, tùnc maximè, cum de conditionibus quibuſdam mentio incidiſſet Romano in Imperatore: Leopoldus mirabili altudine animi profeſſus eſt : faſces in medio relicturum Magno Gofredo illi ſimilis, & paris indolis, de quo Taſſus noſter eiuſq; Tuba.

Scettro impotente, e vergognoſo impero:
Se con tal legg' è dato: io già nol quero.

Hac ergo laurea ornatos tuos ingreſſus ad imperij pompam dixerimus Leopolde Cæſar teq. nunc demum fuiſſe nouum Aſſertorem ſublimiſſimæ Maieſtatis in tuis permanſuræ.

Sæpiùs autèm tuo inter meam orationem nomine appellato. Ecce quid ni recorder alterum cognomine tuū: conſanguineum tuum alterumTe, Cæſar Leopoldum Auſtriæ inclitum Marchionem? Quo in Heroe tanta fuiſſe dicitur, ergà beatiſſimam Sedem humilitas, & obſeruantia: quanta in Epiſtolis Pontificum declaratur vbi *peculiaris Diui Petri filius* honorificentiſſima ſilicet appellatione decoratur, cuius vitæ, & geſtorum ſanctitatem probans, & admiramus Innocentus Octauus illorum nūmero; quibus ab vniuerſo Chriſtianorum cætu, cultus, & veneratio

In Bulla Innoc.VIII.

perſol-

perſoluenda eſt: Leopoldi nomen, ſacra ſolemni pompa adiunxit.

Fluuiorum in Ducatu Vrbini Princeps

METAVRVS.

ET mihi longæuæ durant præconia famæ
Perquè meos campos nobilis vnda feror.

Auſi ſint quamuis fluuios animare Poetæ
Græcorum; de me fabula nulla manet.

Sed tu Cannenſis memoras dum funera pugnæ:
Aufidus, heu tibi, quam læthifer amnis erat.

Imperio, Romane, tuo fauſtiſſimus amnis
Dicor ego, & veſtris perlegor hiſtorijs.

Ruuereis placuere meæ Paſtoribus oræ
Longa ſui tenuit quos pia cura gregis.

Illa meos ornare ſinus: illa inclyta Quercus
Seruatrix populi nuper, & vmbra ſui.

Parcite: ſi flebi (multos conuiximus annos)
Hæſit, & in refluis curſus anhelus aquis.

Dum queror; & campis latè inſonuere querelæ
Dumq; meos fruſtra ſæpe repoſco Duces.

Hæc

Hæc tibi, qui mundum certo moderatur ab æuo,
Vt ſubito euoluam, dicta Metaure, iubet.

Conuixit tecum regnans gens Feltria; quæ ſe
Inclita Cælicolum tradidit agminibus.

Iàm ſatis ambigui en Victrix Victoria fati
Augebit ſedes, Imperiumq; ſuis.

Tuſcorum Alta Domus complectitur Heroinam:
Regio, & in ſolio, nunc Iouis Arbor erit.

Hic aures, auræq; meæ obſtupuére; quis eſſet.
Talia, qui vates funderet: Arnus erat.

Arnus erat. Video? En Tybris mea dona coronat.
Tybris quo currit vix minor Arnus aquis.

Senarum Patria: heroum fæcunda creatrix
Arbia germinibus clarior vſq; nouis.

Glandiferum eſt tibi Tybri caput: grandeſcere Quercum
Cogis; & Aſtriferis montibus eſſe parem.

Quercus ſyluarum, ſemper Regina mearum
Atq; Metaurenï gloria viua ſoli,

Seu Te Tybris amat; te ſeu complectitur Arnus
Te precor, auſpicijs, impera vbiq; meis.
Condeb. Senis 1655.

EQVVS INVASVS A LEONE.

ROMAE VISITVR IN CAPITOL.

PRoſtratum dextra corpus quod parte recumbit
Dat ventrem, & coſtas ſemiſupinus equus.

Dentibus à dorſo incumbens Leo corripit aluum;
Vnguibus atque humeros dilaceratq; latus.

Et dolet, & gemit, & voces audire putabis
Si ipſe tuis oculis vtere, vt ipſe meis.

Vtque altè infixum excutiat, reuomatq; dolorem
Aera per vacuum torquet vtrunq, pedem.

Infęlix! Ah fruſtra homines expectat amicos:
Marte quibus dubio ſæpe ferebat opem.

O manus! ò mens ò magni præſtantia fabrì
Eſt natura parens non tamen ipſa faber.

Vires inſtaurat Leo: ſed non conficit hoſtem
Viuit adhuc, ſemper ſtans moriturus equus.

PRIMA AVLAE RVDIMENTA APVD FRANC. CENNINVM CARD.

QVid poſſet Virtus : quidnam fortuna negaret ?
Quam malè conſultum credere vtriq; foret.

Tunc nihil audieram, rudis & non docta Iuuentus.
Haud cito quid valeant nomina tanta capit.

Sed tu fortunæ meritorum pondere victor
Cennine Virtutis pulcher amator eras.

Vnum, qui libros (tua chara negotia) curet
Mouit honoratum quærere conſilium.

Hiſpanos pluteos auro exhaurire profuſo
Non cunctabaris. Sed meliora legens.

Hic amor in libros Domini : facit eſſe miniſtrum
Curantem libros in meliore loco.

Res quoq. . . . . ſecundæ
Spes . . . . molior ecce nouas.

Credebam ſimilem . . . . eſſe Penatum
Penarum poti . . . . magna ſeges.

O Libri Totum vobis rapuiſtis amicum
Quem . . . . non docuiſtis opes.

. . . . conſtant abſentia fama
Certis nempe bonis amplior vmbra nocet.

LAVS DEO.

1008.12
C
OC 955596

1008 . 12

ICO S.P.A.